

sequitur, id est, lætitia & pax animi. Dicere, peccata eodem modo se habere ad fidem, quo pellicula interjecta ad oculum, qua oculum actu videndi tantum privat, non autem virtute aut facultate, est diffimilia inter se comparare. Fides enim non cum oculo, sed cum visione ipsa comparari debet: fides enim est ipsa fiducia, non id in quo fiducia est, nec distinctum aliquid à fiducia, per modum potentiae, instrumenti, aut subjecti, ut oculus est distinctum quid ab ipsa visione, quæ in & ab oculo est. Nemo adeò fatuus est, ut dicat virtutem manere in eo, qui actiones virtuti contrarias facit, aut actiones virtuti contrarias, veluti pelliculam interjectam, impedire quidem virtutis usum, sed non tollere virtutem ipsam. Tum neminisse debebat Censor ejus quod pag. 107. dixerat, justitiae eam esse rationem, ut per actum injustitiae desinat esse, quia accidens est: Cur non eadem est ratio fidei & caritatis? Nisi forte hæc accidentia esse neget, quod nimis stultum foret.

Addunt, inquit, raro fieri solere, & difficulter posse, ut divine gratiae beneficio renoventur & ad frugem redeant, qui semel verè crediderunt, & ad pristinam vitæ profanitatem relibuntur. Id si intelligant de verè justificatis, falsum est. Id enim non fit raro, sed semper & quotidie, nec in uno aliquo, sed in omnibus & singulis. Audax assertio, quam nec ratione nec experimento ullo muniri a Censore mirum est. Sed id impossibile ei fuit. Tantum dicit, *Hoc plane necessarium est, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneat, Rom. ix. 11. Et verum sit, Quod bonus pastor Ioa. x, vers. 28 afferuit, Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea.* Miserrimæ sanè rationes tam ingenti Colosso fulciendo. Nam in primo loco ad Rom. ix. per propositum, quod est secundum electionem (pronomē enim ipsius, quod Censor hic, ad exemplum Bezæ, inseruit, non est in textu) intelligi propositum, quo Deus nominatim & peremptoriè hunc aut illum saluti æternæ destinat, probandum fuerat. Hoc enim assumere tanquam confessum non debuerat, cum id apertè negari a variis interpretibus, & nominatim ab iis, contra quos disputat, non ignoraret: Sed & falsum esse suo loco probabimus. In secundo vero loco non affirmatur a Christo, qui bonus Pastor est, fieri non posse ut oves sponte sua oves esse desinant, aut in lupos, porcos, aliasve bestias degenerent, sed tantum fieri non posse, ut oves, qua tales, pereant, id est, ut fideles, qui Jesu Christo per veram fidem constanter ad hærent, potentiae & manui Jesu Christi per vim eripiantur, quo

K k 3 minus

Similitudo
qua peccata ad
fidem se habe
re dicit, uti
pellicula in
teriecta ad o
culum refelli
tur.

Defendit
sententia Re
monstr. qua
dicunt raro
fieri solere &
difficulter pos
se fieri, ut fi
deles relapsi
ad pristinam
vitæ profini
tatem, ad fru
gem redeant.